



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XX. De donationibus inter virum & uxorem, & de dote post divortium reddenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

propter nullitatem matrimonii ex impedimento canonico, non ita solus ordinarius loci, in quo contraxerunt matrimonium, potest hanc quaestionem cognoscere & terminare, quin eo non requisito aut causam delegante, ordinarius originis & domicilii possit se intromittere; dum enim reus habet plures Judices, seu in pluribus locis forum, actor non cogitur deferre causam ad hunc determinatè Judicem, sed liberum est ei convenire reum coram proprio ejus Judice, coram quo maluerit ad faciliorem rei cognitionem & causæ expeditionem, præsertim ubi id fieret sine rei revocatione à domicilio ad Judicem distantem; dum nimirum illi Judices aliunde capaces sunt cognoscere & terminare istiusmodi causas, & causa non est certo Judici specialiter reservata; qualiter causa matrimonialis ex hoc, quòd matrimonium in hac diocesi contractum, nullibi reservatur Ordinario illius diocesis. Sic si debitor seu reus jure communi habet duos Judices, potest cre-

ditor seu actor eum convenire, coram quo ex his maluerit ad prosequendam actionem, licet ea originem ducat ex contractu; *c. dilecti. de foro competens.* & ibi Gl. v. ubi domicilium. Covar. l. 1. var. c. 18. n. 6. & licet reus seu debitor respondere debeat in loco contractus, si ibi inveniatur, poterit tamen etiam, si maluerit, creditor eum convenire in loco domicilii, Abb. in c. si diligenti. de foro competens. Pirh. tit. eod. n. 37. quin &, si reus non inveniatur in loco contractus, sed inde discessit, non potest compelli ad personaliter comparandum ibidem, si sit in vitus. Pirh. l. c. Verum itaque est, quòd quis fortiatior forum ratione contractus, ut super hoc conveniri possit coram Judice loci, ubi factus est contractus, ut habetur c. fin. de foro competens. c. 1. eod. in 6. non autem verum est, quòd ibi conveniri debeat; præsertim si reus ibi non sit, nec etiam compareat, sed in loco originis & domicilii constanter maneat, distante à loco contractus & alterius jurisdictioni subiecto.

TITULUS XX.

De donationibus inter virum & uxorem, & de dote post divortium restituenda.

Quest. 309. Donatio inter virum & uxorem quotuplex.

REsp. Duplex; alia quæ sit omnino gratis & ex mera liberalitate, l. 1. ff. de donat. alia quæ sit ob causam aliquam; qualis est donatio propter nuptias facta à marito in compensationem dotis sibi datæ ab uxore, dum is ex causâ hac tantum teneatur dare, quantum ipse ex causâ dotis accepit; *Auth. dos data. c. de donat. propter nupt.* quæque non secus ac dos fieri potest tam post, quam ante matrimonium contractum; & sicuti dos de jure communi, soluto matrimonio, redit ad mulierem, vel ejus hæredes aut patrem dotantem; l. 2. ff. soluto matrim. c. ult. h. t. ita & donatio propter nuptias ad maritum superstitem vel ejus hæredes; l. cum multa. c. de donat. ante nupt. & §. est & illud. Inst. de donat. nisi consuetudo habeat aliud, aut aliter conventum inter virum & uxorem; ut Pirh. h. t. n. 8. ad quas donationes ob causam reduci quoque possunt, quæ fiunt causâ remunerationis ob præstita ab uno conjugum alteri obsequia ordinariè indebita, & ab aliis conjugibus non solita exhiberi; quamvis propriè & in rigore donationes non sint. Arg. l. 1. & 7. ff. de donat.

Quest. 310. An donatio inter conjuges purè liberalis sit valida.

1. **R**Esp. Facta, stante matrimonio, est invalida, idque tam Jure civili, juxta quod expressè habetur l. 1. 2. & 3. ff. h. t. addita etiam l. 1. ratione, dum ibi dicitur: *Moribus apud nos receptum est, ne inter virum & uxorem donationes valerent; hoc autem receptum est, ne mutuo amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes, sed profusa inter se facilitate* &c. tum etiam, ut Pirh. h. t. n. 2. ne matrimonia essent venalia, & ne concordia pretio conciliari videatur. Quam etiam Jure Canonico, dum c. fin. h. t. dicitur: *Donatio, constante matrimonio inter conjuges facta, ex qua alter locupletior, & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur, & penitus evanescit, si revocetur ab eo tacitè vel expressè; vel si*

is, qui donatum accepit, prius debitum naturæ præsolvat &c. juxta quem textum

2. Limitatur responsio primò: Ut valeat talis donatio, si ex ea donans non fiat pauperior, cum locupletatione donatarii. Si enim hic ex inde non fiat locupletior (uti contingit V. G. dum maritus donat uxori servum, ut ab ea manumittatur, ut habetur l. quod autem. §. fin. ff. h. t. item si donetur sepulchræ causâ, velut exinde det elemosynam, vel emat rem familiarem, ut dicitur cit. l. fin. §. 8. l. 7. §. si maritum. l. sed si vir. §. 8. & 10. ff. h. t.) etsi donans exinde fiat pauperior; uti etiam valet donatio, etsi donatarius fiat ditior, modò donans non fiat pauperior, pro ut utrumque habetur l. si sponsus. §. 10. ff. h. t. dum ibi dicitur: *Ubique igitur non diminuit de facultatibus suis, qui donavit, valet: vel etiam, si diminuat, locupletior tamen non fit, qui accipit* &c. Taliter autem donatione sua locupletando alterum non redditur pauperior, qui non de patrimonio suo jam acquisito donat, sed de eo, quod postet acquirere jure illud; l. si sponsus. §. si maritum. ff. h. t. *Neque enim pauperior fit, qui non acquirit, sed qui de patrimonio suo deposuit & dedit.* V. G. si maritus repudiet hereditatem, ut ea deferatur uxori substituta. Vel si quid relictum seu legatum uxori, ut exinde det aliquid marito, & hic cedat illud uxori, Pirh. h. t. n. 5. cum Alex. in cit. c. fin. h. t. n. 17. & 18. qualiter etiam non censeri uxorem fieri pauperiorem, si quid donet marito ad consequendam dignitatem; cum id ipsum redundet in commodum, nimirum honorem uxoris, juxta l. famina. ff. de Senatorib. alferit Reiffent. h. t. n. 7. citans pro hoc l. nuper. ff. h. t. idem quoque dicens citando l. sint certo. §. interdum. ff. commodati. de marito, donante aliquid uxori, ut comptior & ornator incedat; cum id potius suâ causâ donasse censeatur.

3. Limitatur secundò in sequentibus casibus; dum donationes sunt mutuae, quarum una saltem non notabiliter excedit alteram; juxta l. quod autem. §. 2. ff. h. t. cum in hoc casu neuter conjugum fiat

fiat locupletior aut pauperior. Item dum donatio est rei exigui pretii. Barb. in c. fin. h. t. n. 17. Pirh. h. t. n. 12. arg. l. ex annuo. ff. h. t. Item valet talis donatio, quâ vir remittit uxori usuras dotis non solutæ ex conventionē debitas. Pirh. l. c. juxta l. vir. usuras ff. h. t. Item facta ad ædes dotales reficiendas. l. quod si vir. ff. h. t. Item gratuita concessio ædium, usus servorum, animalium, vestimentorum & similibus. l. si vir uxori. ff. h. t. Pirh. l. c. Item valet facta inter Imperatorem & Imperatricem; Regem & Reginam aliósque supremos Principes conjuges, ut Azor. p. 3. l. 11. c. 10. Less. l. 2. de just. c. 18. du. 12. Pirh. l. c. quin & inter Principes alios & Comites Imperii conjuges, ut Tiraq. r. de nobilit. c. 37. n. 45. Sanch. de mat. l. 6. d. 3. n. 1. quos citat & sequitur Reiffenst. h. t. n. 9. Denique valet donatio facta mortis causâ juxta expressum textum l. si enim ff. h. t. etsi dominium rei donatæ remaneat penes donantem interim, dum is vivit, juxta l. sed in reum. ff. eod. & sic valet legatum inter eos factum. Pirh. h. t. n. 3. cum Sanch. l. 6. de mat. d. 1. num. ult. Quod si tamen donatio causâ mortis facta cum ea conditione, ut esset irrevocabilis, foret nulla; quia transiret in donationem inter vivos; ut juxta l. 27. ff. de caus. mort. donat. Sanch. l. 6. d. 10. n. 2. Pirh. h. t. num. 14.

4. Limitatur tertio; ita, ut etsi infirmetur donatio merè liberalis ex eo, quod revocari possit ad libitum, non sit tamen omnino invalida, & careat omni effectu, etiam dum per eam donans sit pauperior, & donatarius locupletior, cum juxta paulo post dicenda confirmetur morte donantis, transeatque saltem possessio rei donatæ in donatarium, cum ea possessio sit quid facti, arg. l. 1. §. 4. de acquir. & amitt. possess. Reiffenst. h. t. n. 9. quin &, ut idem citans l. de fructibus. ff. h. t. acquirit fructus suâ industria ex re donata acceptos.

5. Extenditur è contra responsio primò, ut adhuc invalida sit donatio merè liberalis inter sponsum & sponfam de præsentē, etiam si facta ante matrimonium consummatum, Sanch. l. 6. d. 1. n. 4. Pirh. h. t. n. 3. Secundò facta etiam ante matrimonium contractum, dum ejus affectus differtur in tempus contracti matrimonii. Pirh. l. c. juxta l. quod sponse. c. de donat. ante nupt. Tertio, etiam si fiat per personam intermediam, ut dum maritus dat aliquid Titio, ut donet uxori suæ. Sanch. l. c. n. 8. Pirh. l. c. Reiffenst. h. t. n. 6. cum, quod per alium quis facit, per seipsum facere censetur. Reg. jur. 72. in 6. Quarto, dum etsi contractus alii, ut venditio, permutatio inter conjuges, valeant, modò venditio fiat pretio æquivalente, remissio tamen pretii ex parte, vel ex toto, si fiat animo donandi, sit invalida. Sanch. l. c. n. 11. Pirh. Reiffenst. l. cit. juxta l. si sponsus. §. 5. ff. h. t. Idem est, dum remittitur aliunde ab uxore debitum; cum hac ratione remittens seu donans fiat pauperior cum locupletatione donatarii.

Quæst. 311. An quoque donatio merè liberalis inter conjuges non legitimis, sed tantum putativè tales sit invalida.

R Esp. Sub variis distinctionibus; nimirum quòd valet legatum, & acquiratur uxori legataria, absque eo, quòd Fiscus id ab ea auferre possit, si soli leganti constituit de nullitate matrimonii. Mol. de just. d. 200. n. 5. Sanch. l. 6. d. 2. n. 3. quos citat & sequitur Pirh. h. t. n. 15. dicens communem, addensque, idem verius dici de donatione inter vi-

vos facta uxori ignoranti nullitatem matrimonii à marito illius conficio. E contra si conjux donatarius conscius nullitatis, & donans ejus infcius est in bona fide, donatio est nulla, res tamen donata non est applicanda Fisco; sed ipsi donanti ejusque hæredibus post mortem illius restituenda, utpote qui, cum nihil deliquerit, suis rebus ob malam fidem donatarii privandus non est. Pirh. h. t. n. 16. Sanch. cit. d. 2. n. 7. juxta quòd disponitur, l. cum hic status. ff. h. t. Si verò uterque conjux est in mala fide, utpote conscius nullitatis, donatio ab uno eorum facta alteri non valet; non tamen donans rem donatam repetere potest, sed Fiscus eam sibi applicare potest. Mol. l. c. n. 8. Sanch. l. c. n. 2. & 4. Pirh. cit. n. 15. juxta quòd expressè habetur, cit. l. cum hic status. §. fin. Si uterque conjux ignarus nullitatis est in bona fide donatio inter eos est quidem invalida; Sanch. l. c. n. 9. Pirh. n. 14. juxta l. cum hic status. & arg. l. si ex volum. c. 1. b. t. non tamen cedit Fisco; sed donans donationem revocare, & rem donatam repetere potest, ex ea ratione, quòd facta sit bona fide, & ex errore, qui consensum donantis excludit, utpote cui nihil magis contrarium quam error, ut dicitur l. per errorem. ff. de jurisd.

Quæst. 312. An & qualiter donatio inter conjuges gratuita ab initio invalida ex post confirmetur.

1. **R** Esp. Ea primò juxta magis receptam (quam tenent Abb. inc. ult. h. t. n. 9. Azor. p. 3. l. 11. c. 10. q. 2. Mol. l. c. d. 289. n. 22. Sanch. l. 6. d. 11. n. 2. quos citat & sequitur Pirh. n. 18.) confirmatur ea juramento de non revocando, ex ea ratione, quòd hæc donatio non prohibeatur, & irritetur primò ac principaliter favore publicæ utilitatis, sed solum ob privatam utilitatem conjugum, ne mutuo amore se rebus suis spoliēt, cum jactura seu depauperatione unius & ditatione alterius; quòd, quia peccatum non est, nihilque continet contra bonos mores naturales, sed contra civiles tantum, juramento confirmari potest, (quemadmodum plura Jure civili prohibentur & infirmantur, quæ tamen Jure Canonico ratione juramenti subsistunt) quòd proinde servandum; quia sine dispendio salutis æternæ servari potest; ac proinde talem donationem reddit firmam & irrevocabilem. Ad hæc si donationes factæ inter conjuges ob causam religionis, vel favore piæ causæ valent, valebunt etiam donationes merè liberales propter adjectum eis juramentum, utpote cujus magna est religio, ut Pirh. cit. n. 18. in fine, citato Sanch. l. 1. de sponsal. d. 32. n. 2. Nihilominus revocationem talis donationis, cui adjectum juramentum, reddi quidem illicitam propter rationes adductas, non tamen invalidam, asserit Wiestn. h. t. n. 37.

2. Secundò confirmatur per mortem naturalem donantis, si is in vivis non revocavit eam tacitè vel expressè, pro ut statuitur c. ult. h. t. item l. l. apinianus. & l. cum hic status. ff. h. t. ubi Gl. v. donationibus. & l. donationes. c. h. t. Sanch. l. 6. d. 14. num. 1. cum communi. Ex ea ratione, quòd, dum donans eam non revocavit in vivis, præsumitur in ea voluntate, ut res donata remaneat donatario, perseverasse & mortuuse esse, ac ita quasi mortis causâ facta habeatur donatio; morteque illius cesset finis legis talem donationem inhibentis, nimirum depauperatio, dum citra hanc etiam unus conjux alterum instituere potest hæredem, vel ei legare. Non tamen confirmatur morte solius donatarii, sed manet invalida, vel potius omnino evanescit, juxta expres-

expres-

expressum textum *c. fin. h. t. & cit. l. cum hic status*. Ut autem morte donantis confirmetur donatio, requiritur, ut eo vivente res donata sit tradita, ut dum possessio rei donatæ actu translata in donatarium. Sanch. *l. c. n. 6. & 7. Pirh. h. t. n. 7. & 19. arg. l. Papiannus. ff. h. t. & l. res. c. eod.* ita tamen, ut traditio etiam ficta sufficiat, AA. iidem; qualis censetur, dum maritus donans aliquid uxori dicit, se rem illam possidere precario nomine uxoris; *l. quod meo. ff. de acquirend. poss.* Item si maritus remittit uxori debitum animo donandi; habet enim hæc remissio vim traditionis; quia fingitur tunc, mulierem solvisse marito, & hunc donasse & tradidisse uxori. Pirh. *h. t. n. 7. cum Alex. in c. ult. h. t. num. 6.* juxta *l. cum hic status. §. si sponsus*. Item requiritur, ut donatio non excedat summam 500. aureorum absque insinuatione desuper facta Judici; *l. donationes. c. h. t. Mol. tr. 2. de 7. & 7. d. 289. n. 1. Clarus §. donatio. q. 17. n. 3.* quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n. 30.* ita tamen, ut tantum non valeat confirmari morte, quò ad excessum illum, & secus sit quò ad summam legibus permissam, ne utile per inutile vitietur. Sanch. *l. 6. d. 14. n. 25.* Wiestn. *l. c.* Item requiritur, ut non sit revocata expressè vel tacitè; de qua revocatione num facta, dum dubitatur, præsumendum est non factam; juxta *l. cum hic status. ubi: Si in obscuris sit, (num revocata) proclivior esse debet iudex ad comprobendam donationem: nimirum iudicando, non esse revocatam.* Reiffenst. *h. t. n. 24.* Wiestn. *n. 29.* Porro revocatio hæc tacita fieri censetur primò per divortium; *l. interim. §. fin. l. cum hic status. §. Si divortium. ff. h. t.* nisi divortium factum mutuo consensu, aut aliunde constaret, velle donantem, non obstat divortio, donationem factam perseverare. *l. à marito. c. h. t. Mol. l. c. n. 12. Sanch. l. 6. d. 15. n. 10. Pirh. num. 6. Reiffenst. n. 22.* Secundò, si donans rem donatam

vendat, permutet, legat, vel donet alteri; aut oppignoret seu specialiter hypothecæ subiciat; *l. cum hic status. §. 5. & 15. l. si maritus.* Mol. Pirh. *ll. cit.* Sanch. *l. c. n. 5.* non tamen censetur revocata per generalem hypothecam omnium bonorum; *cit. l. si maritus.* Sanch. *l. c.* Tertiò si donatarius mores mutasset in præjudicium donantis; v. g. committendo adulterium, aut notabilem ingratitude emerga donantem. Sanch. *l. c. n. 11.* Pirh. *l. c.* Reiffenst. *n. 23.* arg. *c. fin. de donat.* Quartò obortis gravibus inimicitis inter donantem & donatarium. Sanch. *n. 23.* arg. *l. cum hic status.*

3. Tertiò confirmatur per mortem civilem donantis; ut dum in exilium mittitur & civitatem perdit. arg. *l. si mors. ff. h. t. & l. res uxoris. c. eod.* Sanch. *l. 6. d. 17. num. 2.* Sylv. *v. divortium. 2. q. 4.* Pirh. *n. 20.* Reiffenst. *n. 26.* cum communi contra *Gl. in c. licet undique. de off. deleg.* Limitatur tamen hoc ipsum primò, ita ut non firmetur, sed evanescat per servitutum, quâ donans efficitur servus hominis; *l. cum hic status. §. 6.* Sanch. *l. c. n. 4.* Pirh. *n. 20.* Secus tamen, dum efficitur servus pœnæ. V. G. damnatur ad metalla. Reiff. *l. c.* arg. *l. res uxoris. c. h. t. junctâ Gl. v. deducto.* Limitatur secundò per professionem religiosam (quæ & ipsa est mors civilis) in ordine capaci bonorum, ita ut hac non obstante, donans professus eam de consensu superiorum revocare possit, adeoque non firmetur irrevocabiler, usque dum talis professus morte naturali decedat. Castrop. *tr. 32. d. 2. p. 25. §. 3. n. 3.* Sanch. *l. c. n. 9.* Pirh. *n. 20.* Reiffenst. *n. 31.* Contrarium est, seu firmatur professione facta in ordine incapace bonorum, V. G. in ordine Fratrum Minorum S. Francisci, non secus ac per mortem naturalem, quam proinde expectare necesse non est; ita Reiffenst. *n. 30.* cæterique AA. citati *ll. cit.*

TITULUS XXI.

De secundis nuptiis.

Quest. 313. Num licite & honeste sint nuptiæ secundæ.

1. **R**esp. primò: Licitas esse etiam Christianis non tantum secundas nuptias, sed & tertias, quartas, & quotiescunque priore conjuge defuncto iteratas, certa & Catholica est veritas, quam antiquissima & universalis Ecclesiæ consuetudo confirmat; & patet ex illo Apostoli *1. ad Corinth. c. 7. v. 39.* de muliere dicentis: *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Quod restringendum non est ad secundum ejus virum, sed intelligendum etiam de tertio, quarto, ac si diceret; quotiescunque vir ejus dormierit; juxta quod habetur ex S. Augustino *c. fin. 31. q. 1.* & expressius ex S. Hieron. relato *c. 1. ead. caus. & q.* his verbis: *Libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, imò nec trigamiam, & ita licere, quinto & sexto & ultra, quomodo secundo viro nubere.* Acceditque ratio; quia ex præcedentibus nuptiis nullum obstat impedimentum, quò minus semper ad ultiores procedere possit. Sanch. *de mat. d. 81. n. 2.*

2. Resp. Secundò: Sunt quoque honestæ, ut sequitur ex priore responso, cum non nisi quod honestum est, permitti & approbari possit ab Ecclesia. Sed neque earum inhonestas, aut deficiens

in eis ratio Sacramenti ex eo inferri potest, quòd Ecclesia secundis nuptiis negat benedictiones; cum negationis iteratæ benedictionis aliæ sint causæ, & inter illas præcipua, quòd in iis deficiat perfecta significatio Sacramenti, nimirum, quòd unionem Christi, cum unica Virgine & intacta sponsa Ecclesia perfectè non repræsentent, & idcirco non eandem, quàm primæ nuptiæ commendationem mereantur. Wiestn. *h. t. n. 3.*

Quest. 314. An saltem secundò nubere ante annum luctus elapsus prohibitum sit à Jure civili sub pœna infamiae, & num idiplum correctum à Jure canonico.

1. **R**esp. ad primum: Viduæ ante annum luctus, computandum à die mortis prioris mariti, complectum infamia ipso jure incurrenda (quavis, ut Castrop. *tr. 28. d. 4. p. 13. §. 2. n. 2.* citato Sanch. *l. 7. d. 87. n. 3.* requiratur sententia declaratoria delicti seu facti, nimirum contractum tempore luctus secundarum nuptiarum) tam ab ipsâ quàm à viro eam ducente, ut Castrop. statuitur à Jure Civili, *l. 1. c. de secund. nupt.* junctâ *Auth. de nupt. §. prime squidem. coll. 4.* traduntque idem Bald. *in cit. l. 1. n. 1. vers. infamis.* & Salicet. *ibid.*